



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilivm Trenorchianvm Anno Christi DCCCCXLIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

& vadiet eis qui paronymphi sunt quod eo modo querat eam, ut secundum Dei rectum pertinere velit, sicut sponsus debet legitimā sponsam, & plegient hoc amici sui. Postea sciendum est cui fosterleanum pertineat. Vadiet hoc bridguina, id est sponsus, quid ei dare disponat cur eius eligat voluntatem, & quide ei destinet, si superuixerit ipsum. Si sic quoque conueniat, rectum est ut dimidiā pecuniam habeat, & totam, si simul puerum habuerint, nisi deinceps virum capiat. Totum hoc vadio confirmetur, & amici sui plegient. Si tunc omni re concordent, adeat cognatio & despondeat eam *to vryte & to ryghtlyte*, id est in vxorem & rectam vitam, & excipiat inde plegium qui ius habet in vadio. Sed si de ipsa terra velit ipsam ducere in terram alterius taini, consilium est, ut amici habeant pactionem, ne quis ei faciat iniuriam. Et si illa forisfaciat, ut possint esse propinquiores emendationi, si non habeat unde componat. Huic dationi debet interessē presbyter, qui cum Dei benedictione debet eorum consortium adiuuare in omnem sanctitatem. Bonum est praeuidere ne ex aliqua consanguinitate sibi pertineant, ne iuste postmodum separantur qui sceleratis nuptiis consenserunt.

CONCILIVM TRENORCHIANVM

ANNO
CHRISTI
944

ANNO CHRISTI DCCCCXLIV.

AVCTOR est Petrus a sancto Juliano in originibus Trenorchianis, anno Christi DCCCCXLIV. Gisalberti ducis euocatio ne congregatam fuisse Synodus in eius loci monasterio, ad eamque conuenisse archiepiscopos duos, Guidonem Lugdunensem & Goffridum Vesontionensem; episcopos quinque, Gotescalcum Lausannensem, Rotmundum Aduensem, Hildebadum Cabilonensem Maimbodum Matisonensem, & Alchierum Gratianopolitanum, cum abbatibus, clericis, & monachis permultis. Ab his autem uno consensu decretum, ut sacræ monasterii reliquiae, quæ orto inter monachos discidio propter ducem, qui ineptum illis abbatem imponere nitebatur, ad sanctum Portianum apud Aruernos exportatae fuerant ante triennium, missa legatione reposcerentur, solennique pompa excepta in pristinis sedibus collocarentur. Re peracta, omnem protinus qua vexati fuerant calamitatem desisse.